

P R A E F A T I O.

quarerem, fecit Operis etiam ipsius argumen-  
 tum, magnitudine tanti Principis minimè indi-  
 gnum. Etenim sive Geodatica, sive Chorogra-  
 phica illa nostra spectes, ex his ipsis Mathemati-  
 cis scientiis sunt petita, quas plerique omnes He-  
 roïci Imperatores, Reges, Principes, cum veteres,  
 tum recentiores, magnopere semper amârunt,  
 vehementerque coluerunt: id quod ALEXAN-  
 DRI illius re & nomine Magni, JULII CÆ-  
 SARIS, CAROLI Magni, FRIDERICI II,  
 CAROLI V, & aliorum, qui vel nobilitate, vel  
 studio optimarum artium, vel alio genere lau-  
 dis præstantes eximiique fuerunt, exempla illu-  
 strissima locupletissimè testantur; quos constat  
 omnes disciplinis illis quæ ob certam suam,  
 quam pariunt, scientiam, κατ' ἐξοχλὴ Mathematicæ  
 solæ vocantur, & maximopere delecta-  
 tos, & egregiè eruditos fuisse.

ACCIPERE igitur, fortunatissime Princeps,  
 hoc quicquid est laboris, Serenitate tuâ non in-  
 dignum, quòdque ad illustrandas & recolendas

(?) 3